

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Io. Rvdolph. Engav Ivrivm D. & P.P.O. In Academia Ienensi  
Elementa Ivris Criminalis Germanico-Carolini**

**Engau, Johann Rudolph**

**Jenae, MDCCXLVIII.**

**VD18 12413879**

Tit XII. De Delictis Carnis in genere & speciatim De Fornicationis Crimine.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-10011**

## TIT. XII.

DE

## DELICTIS CARNIS

in genere

&amp;

speciatim

DE FORNICATIONIS  
CRIMINE.

## §. CLX.

Delicta car-  
nis

Quia, quo minus ciuitas sit numerosa, & eaque labori adsueta, impedit uaga hominum libido, hanc sub *delictorum carnis* nomine prohibent LL.

## §. CLXI.

quæcunque  
sint,

Sortiuntur autem delicta carnis diuersa nomina, pro diuersa scilicet *honestate, uoluntate, ac familia personæ*, quacum cois, itidem pro diuersitate *uiæ*, qua congressum tibi parasti. Coitus enim cum meretrice, *fornicatio*; cum femina soluta eaque honesta, *stuprum*; cum persona coniugata, *adulterium*; cum consanguinea uel affini, *incestus*; coniugati cum coniugata, interueniente benedictione sacerdotali, *bigamia*; hominis cum bruto, *sodomia*; & masculi cum uirgine dissentiente, *stuprum uiolentum* audit.

## §. CLXII.

consum-  
mantur

De quibus omnibus hæc notes uelim:  
(1) quod



(1) quod ea tunc demum *consummata* ha-<sup>immisso se-</sup>  
beantur, ubi in uas feminæ, quod pene-<sup>mine.</sup>  
trauit, semen immisit masculus; (2) quod  
in *crimina* transeant, si quæ dolo malo  
perpetrata; (3) quod *qualificata* uidean-  
tur, si (a) ui adhibita, aut (b) spreta reli-  
gione, aut (c) peruerso naturæ ordine  
fuerint patrata &c. (§. LV.).

§. CLXIII.

*Crimen fornicationis* \* est congressus <sup>Crimen</sup>  
carnalis cum meretrice (§. CLXI.) dolo <sup>fornica-</sup>  
malo factus (§. CLXII, 2.) <sup>tionis</sup>

\* Fornicationem, quam licitam habuit AD. TRA-  
ZIGER V. Vergnügung müßiger Stunden  
p. X. p. 47. a multis retro seculis Romæ tolera-  
tam, ROSINVS *antiqu. Ro.* V, 32. PITISCVS  
*Lex antiqu.* To. II. p. 187. seq. adhuc tolerant  
pontifices. V. CLEMANGIS *Untersuchung vom*  
*Zuren-Zoll der Römer.*

§. CLXIV.

Est autem meretrix, quæ plurimum pa-<sup>cum mere-</sup>  
tet libidini. Nihil interesse puto, (a) num <sup>trice com-</sup>  
sui copiam pluribus fecerit in taberna, pi-<sup>mittitur, &</sup>  
strino, an alibi; (b) gratis an *quæstu* in-  
terueniente c); et, si hoc, (c) animo cor-  
radendi opes an paupertatem subleuandi.

§. CLXV.

Vnde sequitur, ut meretricem habere  
nequeas, quæ ab uno ter & amplius co-  
*Engau Ius Crimin.* G gnita

c) VRSINI d. de quæ-  
stu meretricia.



gnita est, si uel maxime quaestus interuenit *d)*. Sic quoque in meretricibus non esse uidetur, quæ his diebus mores mutauit.

## §. CLXVI.

arbitrarie  
punitur.

*Meretrices* pœna famosa \* sed non eadem ubique solent adfici. *Alibi* numellis, *alibi* caueæ uersatili *alibi* carceri ad aliquot dies includuntur, *alibi* lapidem famosum circumferre, *alibi* currum foribus onustum ex urbe euehere coguntur, & post relegantur. *Fornicator* quandoque carcerem ingredi aut mulctam soluere, nunquam autem prolem a meretrice natam agnoscere, tenetur.

\* Olim meretrices nudæ bis uel ter tangebantur aquis. Vnde originem contumeliæ *Nickel* derivare uoluit *HOFFMANN obs. I. Germ. lib. II. c. I. p. 161. seq.*

## TIT. XIII.

## DE STVPRO.

## MEMBRUM I.

## DE

STVPRI CRIMINE ILLIVS-  
QVE POENA.

## §. CLXVII.

Stupri seu **S** *stuprum* est coitus soluti cum soluta femina, cui pudor uel honor inest \*  
(§. CLXI.).

*d)* BERGER suppl. ad *Elem. Iurispr. Crim.*  
p. II. obs. 155.